

Cambridge University Press

978-1-108-06359-3 - Pindari opera quae supersunt: Volume 2 – Part 1

Edited by August Böckh

Frontmatter

[More information](#)

CAMBRIDGE LIBRARY COLLECTION

Books of enduring scholarly value

Classics

From the Renaissance to the nineteenth century, Latin and Greek were compulsory subjects in almost all European universities, and most early modern scholars published their research and conducted international correspondence in Latin. Latin had continued in use in Western Europe long after the fall of the Roman empire as the lingua franca of the educated classes and of law, diplomacy, religion and university teaching. The flight of Greek scholars to the West after the fall of Constantinople in 1453 gave impetus to the study of ancient Greek literature and the Greek New Testament. Eventually, just as nineteenth-century reforms of university curricula were beginning to erode this ascendancy, developments in textual criticism and linguistic analysis, and new ways of studying ancient societies, especially archaeology, led to renewed enthusiasm for the Classics. This collection offers works of criticism, interpretation and synthesis by the outstanding scholars of the nineteenth century.

Pindari opera quae supersunt

One of the foremost scholars of his day, the German classicist August Böckh (1785–1867) was chosen by the Berlin Academy of Sciences as the first editor of the monumental *Corpus inscriptionum graecarum*. Before that he had published this groundbreaking edition of the extant works of the Greek poet Pindar (c.522–c.443 BCE) in two volumes, the second being split into two parts. In the first volume Böckh had presented Pindar's victory odes (*Epinikia*), the only complete surviving works by the poet, alongside his own Latin treatise on metrics and extensive critical notes. In this first part of the second volume, published in 1819, the editor includes a lengthy Latin preface followed by the ancient Greek – primarily Alexandrian – scholia taken from the *Codex Vratislaviensis*. These commentaries on Pindar's works, by such writers as Aristarchus, Chrysippus, Aristodemus and Didymus, are also accompanied by the editor's notes.

Cambridge University Press

978-1-108-06359-3 - Pindari opera quae supersunt: Volume 2 – Part 1

Edited by August Böckh

Frontmatter

[More information](#)

Cambridge University Press has long been a pioneer in the reissuing of out-of-print titles from its own backlist, producing digital reprints of books that are still sought after by scholars and students but could not be reprinted economically using traditional technology. The Cambridge Library Collection extends this activity to a wider range of books which are still of importance to researchers and professionals, either for the source material they contain, or as landmarks in the history of their academic discipline.

Drawing from the world-renowned collections in the Cambridge University Library and other partner libraries, and guided by the advice of experts in each subject area, Cambridge University Press is using state-of-the-art scanning machines in its own Printing House to capture the content of each book selected for inclusion. The files are processed to give a consistently clear, crisp image, and the books finished to the high quality standard for which the Press is recognised around the world. The latest print-on-demand technology ensures that the books will remain available indefinitely, and that orders for single or multiple copies can quickly be supplied.

The Cambridge Library Collection brings back to life books of enduring scholarly value (including out-of-copyright works originally issued by other publishers) across a wide range of disciplines in the humanities and social sciences and in science and technology.

Cambridge University Press

978-1-108-06359-3 - Pindari opera quae supersunt: Volume 2 – Part 1

Edited by August Böckh

Frontmatter

[More information](#)

Pindari opera quae supersunt

VOLUME 2 – PART 1

EDITED BY AUGUST BÖCKH



CAMBRIDGE
UNIVERSITY PRESS

Cambridge University Press

978-1-108-06359-3 - Pindari opera quae supersunt: Volume 2 – Part 1

Edited by August Böckh

Frontmatter

[More information](#)

CAMBRIDGE
UNIVERSITY PRESS

University Printing House, Cambridge, CB2 8BS, United Kingdom

Published in the United States of America by Cambridge University Press, New York

Cambridge University Press is part of the University of Cambridge.
It furthers the University's mission by disseminating knowledge in the pursuit of
education, learning and research at the highest international levels of excellence.

www.cambridge.org

Information on this title: www.cambridge.org/9781108063593

© in this compilation Cambridge University Press 2013

This edition first published 1819

This digitally printed version 2013

ISBN 978-1-108-06359-3 Paperback

This book reproduces the text of the original edition. The content and language reflect
the beliefs, practices and terminology of their time, and have not been updated.

Cambridge University Press wishes to make clear that the book, unless originally published
by Cambridge, is not being republished by, in association or collaboration with, or
with the endorsement or approval of, the original publisher or its successors in title.

ΠΙΝΔΑΡΟΥ ΤΑ ΣΩΖΟΜΕΝΑ.

P I N D A R I O P E R A
Q V A E S V P E R S V N T.

TEXTVM IN GENVINA METRA RESTITVIT
ET EX FIDE LIBRORVM MANVSRIPTORVM
DOCTORVMQVE CONIECTVRIS RECENSVIT
ANNOTATIONEM CRITICAM SCHOLIA INTEGRA
INTERPRETATIONEM LATINAM
COMMENTARIVM PERPETVVM ET INDICES
ADIECIT
AVGVSTVS BOECKHIVS
IN VNIVERSITATE LITTERARVM REGIA BEROLINENSI
ELOQ. PROF. PVBL. ORD. ACAD. DOCTR. BORVSS SOD.

TOMVS SECVNDVS.

L I P S I A E
APVD IOANN. AVGVST. GOTTLOB WEIGEL
MDCCCXIX.

Cambridge University Press

978-1-108-06359-3 - Pindari opera quae supersunt: Volume 2 – Part 1

Edited by August Böckh

Frontmatter

[More information](#)

PRAEFATIO EDITORIS.

Operis huius, quod per aliquot annos aliis studiis et occupationibus remiseram, tomum alterum paranti mihi quoniam ex re visum est priorem partem, quae Scholia complectitur, separatim edere, cui brevi deinceps intervallo interpretatio Latina, commentarii, fragmenta Pindarica, indices verborum et rerum succedant una compage iuncta: hoc mihi loco praeter pauca, quae meas et Hermanni rationes metricas spectant, de solis Scholiis disserendum est. Quae quum initio sperassem *Eduardum Gerhardum*, meum olim auditorem, virum doctum et ingeniosum, qui haud exiguam in iis operam collocaverat, esse recensiturum: quod is mox tristi et miseranda luminum valetudine laborare coepit, copiis, quas ille tanta industria sollertiaque collegerat, mecum liberaliter communicatis ipse me ad absolvendam rem accinxi; quodque illius maxime nomine eruditis tradere cupiveram, commune opus iam meo nomine coactus sum in lucem emittere.

In illa autem suppellectile facile principem locum tenet liber scriptus *Vratislaviensis*, de quo quae mihi Gerhardus perscripsit, accipe. „Rehdigeranum codicem, inquit, unum contuli, sed tripartitum. Duo tenet bibliotheca illa Olympiorum scripta exempla: alterum, Vrat. B. forma quaterna, foede scriptum et laceratum neque tibi in Pindaro recensendo utile visum est neque mihi in Scholiis. Tenet istud iuncta Pindaricis Euripidea, Hesiodica cum Moschopuli notis: quocirca nescio an etiam Pindarica scholia solius sint Moschopuli. Alter codex, quem tu Vrat. A. vocasti, textum spectanti tibi unus est, mihi Scholia recensenti ternorum libro-

rum potestatem habet, quia triplex scholiorum volumen est: quam ipsam ob rem posteriores partes voco *Vrat. C.* et *Vrat. D.* Eas igitur tres partes describam accuratius. Prima, *Vrat. A.* textum continet supra scriptis glossematis, metricis notatis quodvis carmen antecedentibus, scholiis subsequentibus. Primum folium implent *Βίος Πινδάρου, Ἀποφθέγματα Πινδάρου*, utrumque quo ego tempore transcribebam, ineditum. Margines ille codex fere pueros habet; textui tamen saepiuscule rubro adscriptae sunt criticae eiusdem et generis et auctoris notae, cuius ex lacero libro Mosc. B. haud pauca tu edidisti. _ Sed Scholia ea ipsa sunt, quae me invito iam sunt famosa facta, postquam Schneiderus a me, qui ea pridem transcripta tibi Berolini tradideram, Vratislaviae de ea re monitus Vitam et Dicta Pindari ex illo codice edidit. Nam quae is evulgavit, ea totius inventi et sanissima et praestantissima sunt: quamquam etiam in Scholiis illustrium grammaticorum aliorumque scriptorum nomina fulgent. At Scholia haec corruptissima sunt; quae, opinor, librarius litterarum nitide pingendarum quam sententiarum curiosior ex pluribus et diversis libris corrasit, ex quibus ceteri bene asservati erant, is, unde inedita fluxerunt, pessime. Immo deerant haud dubie integra folia: ut tamen exstaret aliquid, librarius ea aliunde supplevit: quo factum, ut neque ad primum neque ad ultima duo Olympiorum carmina talia, qualia in ceteris, scholia legantur, sed ad illud vulgata vetera, ad haec recentiora. Praeterea scholia inedita in eo, quem librarius tractabat, codice marginibus, ut solent, allita videntur fuisse: quibus abscissis aut contritis lacunae plurimae natae sunt et pro sententiis insulsa vocabula. Quae sequuntur, voco *Vrat. C.* Librarius enim ex eo libro, unde recentiora ad Olymp. XIII. XIV. scholia desumpserat, addidit *Σχόλια τῶν αὐτῶν*, quippe recentiorum, ad Olymp. IV. in medio vs. 21. vulg. desinentia, deinde ad Olymp. V. et VI. et post spatium intermedium, ad VIII. inde a vs. 61. item ad IX—XIII. omnia sine textu et metricis, quibus tamen spatium relictum est cum inscriptione: *Περὶ τῶν κώλων τῶν στροφῶν καὶ ἀντιστροφῶν τοῦ . . εἴδους. ἔστι δὲ τὸ ᾄσμα*

E D I T O R I S.

v

στροφῶν . . Παλαιόν. Postremo in *Vrat. D.* continentur Ἐπιτομὴ τῶν ἐννέα μέτρων ἐκ τοῦ ἐγχειριδίου Ἡφαιστίωνος: Δημητρίου Τρικλινίου: Τοῦ αὐτοῦ περὶ σημείων τῆς κοινῆς συλλαβῆς τῶν ἐντὸς κειμένων τῆς βίβλου: Vita Pindari a Thoma Magistro recensita, versusque de Pindaro et novem Lyricis: Scholia Olympiorum vetera vulgata, item recentiora ad Olymp. I. et metrica." Hactenus Gerhardus. Ceterum codicis *Vrat. A.* recentiora Scholia a vulgato, quem inde correxi, textu perpaucis locis differunt: veterum, quae ex Meticeo eo, unde fragmentum Pindari de Aegina et extrema pars Scholiorum ad Isthmia fluxerunt, transcripta esse Schneiderus in Praefatione ad Nicandri Theriaca sine causa coniicit, ea est condicio, ut multa mutatis aliquot vocabulis concinant vulgatae Scholiorum editioni, alia mutila, corrupta, sensu cassa sint, alia nova et bona, immo egregia: ex quibus ego, ut promisso starem *T. I. P. II*, p. 581. dato, cuius Schneiderum nostrum in fine illius praefationis immemorem fuisse video, quidquid inediti reperi, deprompsi, atque aut separatim aut ubi ratio postulabat, cum vulgaribus coniunctum edidi, praeter Gerhardi apographum ipsius Schneideri excerptis mihi benigne concessis adiutus, ex quibus ultro intellexi, recentia Scholia ad Olymp. I. quae ex Gerhardi narratione libro *Vrat. D.* annumeravi, non plena esse, sed saltem Moschopuleis carere; in universo autem negotio ita versatus, ut verear magnopere, ne cordatis harum rerum existimatoribus nimium religiosus fuisse, sordium studiosis superbo iudicio esse usus videar. Qua vero diligentia *Vrat. A.* librum, eadem *Gottingensem* in Pythiis Olympiorumque primis contulit Gerhardus: qui codex in his fere cum *Vrat. D.* congruens sola vetera continet ac supplendis atque in formam magis genuinam redigendis Scholiis usum haud exiguum praestitit. Idem denuo tractavit librum *Mosc. B.* olim a me inspectum: is satis laceratus sola recentiora continet, profuit tamen auctoribus Scholiorum distinguendis, de qua re infra dicam: sed nescio an in extremis Olympiis, ubi unum et alterum recentiorum scholium a *Mosc. B.* abesse perhibui, aliquoties potius *Vrat. B.* in-

telligendus sit, quia Gerhardus sola sigla B. usus est, qua utervis liber potest designatus esse: in quo si falsus sum, illud me in errorem induxit, quod ex iis, quae Gerhardus ad me scripserat, debere colligi putabam, librum Vrat, B. ab illo plane non tractatum esse. Et omnino si quid aliud in siglis codicum apponendis erratum deprehendent, qui codices hos aliquando retractaverint, in re exigui momenti veniam mihi dari par est, quod alienis chartis insudante manu non poteram quovis loco ab ipso auctore, absente praesertim et oculis aegrotando edoceri. Ipse consului codicem *Pal. C.* qui quum a me in not. crit. ad Olymp. XIII, 88. deperditus haberetur, Heidelbergam Romam, inde Parisios, hinc in pristinam sedem venerat, et roganti mihi liberali indulgentia huc transmissus est. Est is in Wilkenii nostri catalogo inter auctores Graecos secundo loco positus: v. programma, quo Universitas litterarum Heidelbergensis praemia civibus a. MDCCCXVI. ex more addicta promulgavit, p. 23. et Historiam bibliothecae Heidelbergensis p. 276. Textum Erasmo Schmidio inspectum in meos usus duo auditores contulerunt: glossas interlineares, quae usque ad finem Pyth. IX. pertinent, non multum curavi. In margine alia manus metrica adscripsit vulgata quidem, sed ab editis eadem fere qua in Vrat. D. ratione discedentia: supersunt tamen in solis Olymp. I. II. III. IX. X. XI. in ceteris Olympiis et Pythiorum primo cum margine abscisso videntur periisse: inde a Pythio quarto margo quidem servatus est, neque tamen metrica, Tricliniana illa, adscripta reperiuntur. Quae aetatem tulerunt, ex iis varias lectiones enotavi, sed edere omnes non est operae pretium visum. Scholia vero in eo libro paucissima exstant: unum textui Olymp. II. praemissum, ut ibi dixi; cetera in margine rara, breve aliquod et editum vetus ad Olymp. III. inde ab Olymp. IX. plura quidem, sed nullius fere pretii, eaque minutissima littera scripta, quae nostram editionem si non ornant, certe augent. Alius praeterea codex manuscriptus ab Italico Gallicoque exilio in Palatinam urbem rediit, chartaceus, manu recenti quaternis scriptus, olim num. CCCLIII. in Wilkenianis num. XXI. p. 26. pro-

E D I T O R I S.

VII

grammatis, p. 287. Hist. Bibl. Heidelberg. quem *Pal. D.* voco: insunt sola Scholia cum metricis vulgata ad Pyth. V—XII. sed lacunosa. Hunc quoque conferendum curavi, sed nullus inde fructus redundavit. Inspexi etiam *Cizensem*, quem etsi Praef. T. I, p. XVIII. vetera Scholia continere scripsi, quod Hermannum Scholia, quae vulgo Didymi vocentur, inesse dicentem ita intelligendum iudicabam, postquam ab humanissimo Muellero is liber ad me missus est, sola recentiora inveni, eaque prope integra, asutis adeo nonnullis ineditis laciniis, metrica vero nonnisi ad Olymp. II. praeterea *Lipsiensem*, lacerum evanidisque litteris, in quo Olympiis praemissa sunt Hesiodi Opera et Dies cum Moschopuli notis, et Theocritus cum scholiis, quae et ipsa Moschopuli videntur. Quapropter, quum Lipsiensia scholia viderem minus plena esse, suspicio nata est, solius ea Moschopuli esse: sed quamquam et Lipsiensem et Cizensem librum, verborum varietate in recentiorum notis non magnopere spectata, eo maxime fine tractavi, ut auctores scholiorum distinguerem, tamen inde aut non multum aut nihil profeci. *Cygneus* codex, cuius varietates etiam in scholiis Io. Aloys. Martyni-Laguna in Heynii usum notaverat, sola recentiorum, non ut Praef. T. I, p. XVIII. diximus, veterum una continet, ac tantum Olymp. X. et XII—XIV. complectitur, neque ea omnia, sed opinor sine Triclinianis. Cum hoc consentit *Leid. B.* quo in solo Olymp. XII. uti licuit; eum certe Moschopulea habere inde intellexi, quod Olymp. I. incipit a Moschopuli scholio † *Ἄριστον μὲν ὕδαρ*, sequente altero eiusdem auctoris † *Ἄρε διαπρέπει*. Neque alius generis est *Leid. A.* recentiora eadem complectens, ut ex specimine, quod Moserus misit, Olymp. XIII, 4—14. didici. Postremo *Hafniensis* codicis scholia ad Olymp. I, 1—10. a Niebuhrio collata recentiora sunt et minus plena, nec tamen sola Moschopulea.

His subsidiis Scholiorum recensionem aggressus primum id curavi, ut nova scholia suis locis insererem, maximam in hac re molestiam creantibus Vratislaviensibus notulis, quamquam in iis viam patefecerat Gerhardus,

qui quò tempore mihi apparatus tradebat, Scholia ad Olymp. II. et IX. aliquo modo iam digesserat. Inter quae emendationem incepti scholiorum tum Vratislaviensium immane quantum corruptorum, tum olim vulgatorum, in eaque id temperamentum tenui, ut permulta ex libris novarem, sed in potissimis tantum, unde quidque petitum esset, traderem; de coniectura autem sive mea sive aliorum, ne huic editioni fides codicum deesset, in textum nihil quidquam nisi monito lectore inferrem, si pauculas exceperis et minutissimas quasdam in metricis maxime correctiones, quas in plagulas madidas, quum ex officina afferebantur, conieci: praeterea ut quod ferri aliqua ratione posset, id sine libris ne mutarem, immo ut multa intellectu difficilia aliis enucleanda et emendanda relinquerem crimenque devitarem sane non capitale, quod doctorum unus et alter scholiis pro arbitrio constituendis in se admisit: postremo ut ne quid eorum, quae ex ullo libro enotata essent, plane perire paterer. Ex editionibus Romanam diligenter contuli, indeque passim, quae in beati Heynii editione per incuriam interciderant, restitui; quamquam in primis plagulis ad eam rem haud omnibus fortasse locis satis attentus fui: Brubachianam, Oxoniensem, Beckianam frequenter consului, Beckioque, viro diligentissimo, hanc laudem deberi video, quod editione principe accuratissime usus est; Heynius autem ante nos multa ex codice Gottingensi apte emendaverat. Nec Schneiderus defuit, de cuius exemplo pro ipsius erga me favore mihi concesso aliquot notas et emendationes deprompsi, in illis ubi opus videbatur, in his vero omnibus locis auctore nominato. Tandem Scholiorum congeriem interpositis siglis § et in Moschopuleis † in suos articulos distinxì, partim sententiis partim libris ducibus, in quibus quae aut ommissa aut alio loco posita sunt, ea a ceteris separanda esse sponte patet. Versuum numeros vulgatos retinui, quod Scholiorum editioni commodiores videbantur. Annotationum vero parcissimus fui, ne moles operis mea culpa cresceret: et putidum iudico Scholia, quae auctori illustrando inserviant atque in textus emendandi et interpretandi subsidiis sint, prolixis com-

EDITORIS.

IX

mentariis onerare. Itaque nonnisi uno et altero loco, ubi id ipsa lectionis constitutio flagitabat, latius excurrendum censeo. Ceterum quamvis improbum et ingratum laborem atque insuper invidiae obnoxium, quod multa me rectius edere, multa supplere, et certe Olympiorum ac partim Pythiorum scholiis novam prorsus faciem induere posse intelligebam, non sine studio exantlavi.

Tantum de mea opera: dicendum nunc ex ordine de ipsis *Scholiis veteribus, recentioribus, glossis, metricis notatis*. Quo loco iuvat telam pertexere, quam in Praefatione T. I, p. IX. inchoavi, ut Scholiis maxime ducentibus criticos et grammaticos, qui in Pindaro illustrando inter veteres allaboravere, deinceps percurrendo, postquam novis iam subsidiis firmati sumus, hanc historiae litterariae partem, quantum fieri potest, in luce ponamus. Igitur Pindari carmina, quae antea sparsa haud dubie circumferebantur, ab Alexandrinis collecta et in ordinem redacta esse, non est quod quisquam ambigat: tamen credibile est, vel ante conditam Pindaricorum operum iustam editionem de singulis partibus carminibusve singulos commentatos esse. Quorum princeps est *Chamaeleon* Heracleota Ponticus, Peripateticus, Theophrasto et Heraclidae Pontico aetate suppar, ut ex iis, quae Ionsius Script. Hist. philos. I, 17, 2. disputavit, ac praeterea inde liquet, quod liber de Voluptate ab aliis Chamaeleonti, ab aliis Theophrasto tribuebatur (Athen. VIII, p. 347. E.). Is vero non solum de Iliade, Alcmane, Alcaeo, Sapphone, Anacreonte, Stesichoro, Thespide, Laso, Aeschylō, Simonide, et de antiqua comoedia ac Satyris scripserat, quorum librorum plurimis quasi commentarios in poetarum illorum carmina complexum eum esse Vossius H. Gr. III, p. 340. recte iudicat, sed etiam librum *περὶ Πινδαρόρου* ediderat, ex quo quae Athenaeus XIII, p. 573. C sqq. petiit, eorum partem agnoscimus in Scholiis ad Olymp. XIII, 32. Grammaticus audit apud Eustathium ad Iliad. ψ, p. 1290. 26. cf. ibid. p. 1310. 29. et alibi, item Schol. Victor. ad Iliad. τ, 62. ap. Heyn. T. VII, p. 805. Fabric. B. Gr. T. I, p. 508. Harl. et Van Goens de Simonide p. 4 sq. Huic succedat *Zenodotus Ephesius*, sub Ptolemaeo Lagida bibliothecae Alexan-

B

drinae praefectus: huius enim, non Cratetei ignobilioris (v. Wolf. Prolegg. Hom. p. CXCI X.), lectionem ἀκροθίνια pro vetere ἀκροθόνια in Vrat. A. ad Olymp. II, 7. (cf. Etym. M. p. 53. 10.), huius coniecturam deperditam in eodem ad Olymp. VI, 91. et interpolationem Anacreontis ad Olymp. III, 52. esse iudico. Quis vero non exspectet, Callimachum, doctissimum sollertissimumque tabularum auctorem, qui sub Philadelpho imprimis inclaruit, vel in his ipsis aliquid ad digerenda Pindarica contulisse? Ad quas me iudice pertinet, quod Pyth. II. init. Callimachus carmen quod nunc secundum Pythium est, Nemeum dixerat. Sed maiora de Pindaricis merita Aristophanis Byzantii sub Ptolemaeis Philopatore et Epiphane maxime florentis fuerunt: qui textum emendavit et metricam curavit rationem, quod uno certe exemplo ex Vrat. A. ad Olymp. II, 48. cognitum habemus, unde constat versum alienum Φιλέοντι δὲ Μοῦσαι ab illo esse obelo transfixum; idem vero Lyricos, atque in his, ne de aliis dicam, Pindarum et Simonidem colis metricis distinxit, auctore Dionysio Halicarnasensi de compos. verb. c. 22. p. 313. Schaef. ubi de colis Pindarici dithyrambi a se constitutis: Κῶλα δὲ με δέξαι νυνὶ λέγειν, οὐχ οἷς Ἀριστοφάνης ἢ τῶν ἄλλων τις μετρικῶν διεκόσμησε τὰς ᾠδὰς: et c. 26. p. 428. Ἐκ δὲ τῆς μελικῆς τὰ Σιμωνίδεια ταῦτα γέγραπται δὲ κατὰ διαστολὰς, οὐχ ὧν Ἀριστοφάνης ἢ ἄλλος τις κατεσκεύασε κῶλων etc. ubi quae de alio quopiam metrico dicuntur, non dubitantis de Aristophanis opera sunt, sed etiam alios in eo genere elaborasse diversa ratione docent. Porro Aristophanes Pindari carmina disposuit, atque alterutrum ordinem instituisse videtur septendecim operum, quae a Suida traduntur p. 5. huius Scholiorum editionis et in Vit. Vrat. p. 10. Cf. Vitam a Thoma recensitam p. 4. Hoc enim Latinorum scriptorum inscitiae condonabimus, quod Pindarum ipsum libros suos digessisse putabant, ut Quintilianus VIII, 6, 71. *Exquisitam vero figuram huius rei deprehendisse apud principem Lyricorum Pindarum videor in libro, quem inscripsit Ἵμνους*; et Servius ad Virg. Aen. X, 738. *Unde Pindarus opus suum, quod et hominum et deorum con-*

EDITORIS.

XI

tinet laudes, Paeanas vocavit. Sed istud *ἐπιγράφει* in Vit. Vrat. p. 10. librario, non Graeco grammatico tribuerim. Etiamnunc vero quem locum Aristophanes primo Olympio assignavit, eum hoc carmen tuetur, etsi quam levibus rationibus in ordinandis Pindaricis usus sit, patet ex iis, quae de hac ipsa oda in Vita a Thoma Magistro recensita p. 5. prodita memoriae sunt. Et quum temporum seriem in quovis saltem genere sequi praestitisset, Aristophanes quique alii Pindaro digerendo operam dedere, sola carminum genera, Dithyrambos, Parthenia, Olympia, Pythia, cetera spectarunt: cuius rei auctor Schol. Isthm. IV. inscr. *Οὐκ αἰτιατέον δὲ τοὺς διατάξαντας τὸν Πίνδαρον· οὐ γὰρ κατὰ χρόνους συνέτασσαν αὐτὸν, ἀλλὰ κατὰ τὰ εἶδη.* Schol. Pyth. VI. inscr. *Φανερόν δὲ, ὅτι αἱ ᾠδαὶ οὐ κατὰ χρόνον διάκεινται· ἢ γὰρ πρὸ ταύτης ᾠδῆ Ἀρκεσίλα γέγραπται νικῆσαντι τὴν 14 Πυθιάδα.* Temporum tamen rationem Hephaestio habuit, Isthm. IV. init. de quo grammatico infra dicemus: atque in Hymnis certe id carmen primo loco positum fuit, quod ex historiae fide a iuvene Pindaro scriptum erat; etsi utrum ex hac ratione, an quod plurimorum deorum et heroum laudes complectebatur, eum locum sortitum sit, incertum est: qua de re in Fragmentis dico. Sed de ipso genere magna in quibusdam carminibus lis fuit, ut in Pythio secundo, quod quum Callimachus Nemeis annumerasset, Timaeus autem rerum scriptor *Θυσιατήριον* dixisset, Ammonius et Callistratus Olympicum esse, alii, inter quos Dionysius Phaselites, Panathenaicum, Apollonius ὁ *εἰδογράφος*, quem in generibus carminum etiam pro harmoniae diversitate dignoscendis in bibliotheca Alexandrina constat diligentissimum fuisse, Pythicum contendebant. V. Schol. Pyth. II. inscr. et ibi not. Praeterea alia post Aristophanem Epiniciis videntur accessisse: inter quae est carmen Olympiorum quintum, quod *ἐν τοῖς ἐδαφίοις*, primitivis, ut arbitror, exemplaribus ab Aristophane profectis, non legebatur, sed in Didymi commentariis Pindaro tributum erat, ut docemur a Schol. Olymp. V. init. Neque Nem. IX. X. XI. ab initio Nemeis attributa erant, unde nota Nem. IX. init. *αὐτὰ δὲ*

αἱ ᾠδαὶ οὐκέτι Νεμεονίκαις εἰδὲ γεγραμμέναι· διὸ κειχωρισμένως φέρονται: postquam addita erant, iure hoc in ultimo certe carmine reprehendebant Dionysius Phaselita cum asseclis suis et Didymus. V. Schol. Nem. XI. init. Simile autem, ni fallor, acciderat in Partheniis, quorum tertius liber τὰ κειχωρισμένα τῶν Παρθενίων dictus (v. Vit. Vrat. p. 10. Schol. Pyth. III, 139. Schol. Theocr. II, 10.) ea videtur carmina comprehendisse, quae ex Partheniis eiicienda videbantur. Sed tota haec de ordine Pindaricorum carminum a grammaticis instituto disputatio etiam aliis impedita difficultatibus est, de quibus in Fragmentorum prooemio monebo: ex quo hoc tantum praelibo, non Suidae, sed Vitae Vratislaviensis seriem ab Aristophane profectam videri. Vel ante Aristophanem autem vel paullo post eius editionem commentarios in Pindarum ediderat *Chrysippus* Stoicus Solensis, Zenodoti Ephesii, Callimachi et Eratosthenis discipulus, Aristarchi magister, qui vixit sub Ptolemaeis Euergeta et Philopatore: inter cuius grammatica opera, a Suida T. III, p. 692. generatim commemorata Diogenes Laertius quidem scriptum de Pindaro non enumerat, nisi quis, quod parum probabile, opus περὶ ποιημάτων notas ad Pindarum esse complexum putabit: sed inter Chrysippi libros plures quam quinque et septingentos cum multis aliis titulis hic quoque intercidit. Eum vero non solorum Isthmiorum, in quibus frequentissime nominatur, sed totius Periodi interpretem egisse, tum ex Schol. Nem. I, 49. patet, tum ex iis, quae Olymp. II, 104. recens accesserunt: et ex hoc ipso scholio, philosophi tragoediarum studiosissimi, qui etiam in Schol. Vict. ad Iliad. ο, 241. ap. Heynium T. VII, p. 776. et in Schol. Venet. Iliad. θ, 441. atque alibi, ac passim apud Etymologum laudatur, non alius cuiusdam Chrysippi hos commentarios fuisse sponte intelligitur; eiusdem vero Παροιμίας Schol. Isthm. II, 17. affert. Nec praetereundum est, Chrysippi aetate iam illa grammaticorum signa (σημεῖα) Pindaricis apposita fuisse, quoniam Isthm. III, iv, 47. legitur in Scholiis: Χρύσιππος δὲ, σεσημειώται, φησὶν, ὁ τόπος διὰ τὴν φράσιν, nempe σημεῖα χ'. Eiusdem aetatem at-

E D I T O R I S.

XIII

tingunt Aristophanei, *Callistratus*, ex cuius commentariis, quos etiam apud Hesychium v. *θρώσκω γνώμα* haud male sibi reperire Hemsterhusius visus est, interpretationes per totum opus Olympiis exceptis aliquoties referuntur, Isthm. II, 19. etiam *τοῖς περὶ Καλλίστρατον* commemoratis, si modo ea formula aliud designat ac Callistratum ipsum; et *Diodorus Aristophaneus*, a Schol. Isthm. II, 54. ex parte merito castigatus, is ipse credo, qui in titulo libri Chrysippeï, *πρὸς τοὺς κριτικούς πρὸς Διόδωρον* comparet. De utroque conf. Wolf. Prolegg. Hom. p. CCXVI sq. de hoc etiam Villoison. Prolegg. Hom. p. XXIX. Atque eiusdem Chrysippi aequalem fuisse *Leptinem* Olymp. XI, 55. a me repositum mihi quidem probabile videtur, ut ibi advocato Diogene Laertio exposui: eiusdem ad Homerum meminerunt Scholia Vict. et Townl. apud Heynium T. VIII, p. 327. ubi homo doctissimus, quis ille fuerit, se non reperire fatetur. Sed sub Philometore eminuit *Aristarchus*, quo praeter Didymum vel olim nemo frequentius commemorabatur; quibus locis ex Indice petendis iam alii accesserunt, Olymp. II, 58. 82. 102. 113. 140. III, 41. 46. 66. V, 54. VI, 23. 152. 158. VII, 117. VIII, 4. 41. XI, 15. ex quibus Scholiis quantumvis corruptis, celeberrimi grammatici partim lectiones partim explanationes cognoscimus: sed etsi is passim haud mediocria attulit, tamen neque interpretatione neque critica arte in Pindaricis magnopere videtur excelluisse, in metricis autem certe non ita peritus fuit, ut ubi spondeo, ubi dactylo locus esset, satis posset distinguere: qua in re Pyth. III, 75. mirifice coniectando peccavit. Aristarchum vero haud secus atque Aristophanem iustam Pindari editionem adornasse vel inde intelligas, quod eius siglae textui appositae exstabant, ut patet maxime ex Schol. Isthm. V, 47. Huius aemulus, ni fallor, *Crates* Mallotes sive Pergamenus est, qui recte sed prava de causa damnatam Scholiastis coniecturam Nem. II, 16. ausus erat: addamque huic *Artemonem Pergamenum* historicum, et ipsum Pindari interpretem, in solis Siculorum Epiniciis Siculisque rebus, quarum curiosus admodum erat, a Scholiastis allatum, Olymp. II, 16. Pyth. I, 1.

III, 48. Isthm. II, 1. nunc praeterea Olymp. V, 1. Etiam *Apollonium τὸν εἰδογράφον* in Pindarica commentatum esse, partim ex Schol. Pyth. II. init. colligo, partim ex Schol. Pyth. I, 3. ubi *τρόπου* in re musica commemoratio non alium quam *εἰδογράφον* intelligendum suadet: sed eidem nomini Pyth. VII, 4. in varia lectione occurrenti non confido. At plures deinceps Aristarcheorum, quos Schol. Isthm. I, 11. nominat, in Pindarum commentarii exstiterunt: in his *Ammonii Alexandrini*, qui praepetori Aristarcho in schola Alexandrina successit (conf. Villoison. Prolegg. Hom. p. XXVI sq.), ad Pythia Nemeaque hinc inde citati, ac semel in Olympiorum Scholiis Vratislaviensibus I, 121. Deinde per omnes quattuor partes celebratur *Aristodemus* Aristarchi discipulus (Schol. Nem. VII, 1.), Alexandrinus dictus ap. Schol. Isthm. I, 11. sed eundem esse Eleum Harpocrati in indeque Suidae v. *Ἑλλανοδίκα* nominatum, probabile fit vel ex Schol. Olymp. XI, 55. ubi eximia eius exstat coniectura *Ἄλτιν* pro *Ἄλιν* pridem in textum recepta; et in Vratislaviensibus *οἱ περὶ Ἀριστόδημον* memorantur. Ex iisdem Scholiis bis iam idem nomen accessit, primum Olymp. III, 22. ubi haec leguntur: *Περὶ δὲ τοῦ τῶν Ἑλλανοδικῶν ἀριθμοῦ Ἑλλάνικός φησι καὶ Ἀριστόδημος, ὅτι τὸ μὲν πρῶτον β, τὸ δὲ τελευταῖον ε'. τοσαῦται γὰρ αἱ τῶν Ἡλείων φυλαὶ, καὶ ἀφ' ἐκάστης εἰς ἡν Ἑλλανοδίκα, quae ipsa Aristodemo Eleo tribuit Harpocratio l. c. Ἀριστόδημος δ' ὁ Ἡλείος φησι τοὺς τελευταίους τιθέντας τὸν ἀγῶνα Ἑλλανοδικας εἶναι δέκα, ἀφ' ἐκάστης φυλῆς ἕνα.* Alter locus est Olymp. VI, 23. ubi extrema de Niobae liberis corruptissima sunt, quibuscum conferri merentur quae Schol. Eurip. Phoen. 162. et 1126. ex Aristodemo aliisque refert: neque hinc aliena eiusdem Aristodemi commemoratio ib. 1120. et 1163. Ex quibus tamen locis et Valckenarii disputatione (Annott. ad Schol. p. 114 sq.) Suidae loco v. *Τευμησία* (vulgo *Τελμισία*) augenda alius haec omnia Thebani Aristodemi esse collegeris, nisi potius Eleus grammaticus Thebaica scripsit, maleque is apud Scholiastam Theocriti Thebanus dicitur: quod mihi quidem probabilis est. Elei autem tertium li-

E D I T O R I S.

xv

brum περὶ Πινδάρου citat Athenaeus XI, p. 495. F. Ἀριστόδημος δ' ἐν τρίτῳ περὶ Πινδάρου τοῖς Σκειρῶσι φησὶν Ἀθηναῖζε ἀγῶνα ἐπιτελεῖσθαι τῶν ἐφήβων δρόμου, τρέχειν δ' αὐτοὺς ἔχοντας ἀμπέλου κλάδον κατὰ καρπον τὸν καλούμενον ὠσχόν· τρέχουσι δ' ἐκ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Διονύσου μέχρι τοῦ τῆς Σκιριάδος Ἀθηναῖς ἱεροῦ, καὶ ὁ νικήσας λαμβάνει κύλικα τὴν λεγομένην πενταπλόον καὶ κωμάξει μετὰ χοροῦ. πενταπλόα δ' ἡ κύλιξ καλεῖται, καθόσον οἶνον ἔχει καὶ μέλι καὶ τυρὸν καὶ ἄλφιτον καὶ ἐλαίου βραχὺ: quem locum non, ut videri possit, ad Epinicia, sed ad Scoliorum κύλικας Ἀθηναίας ap. Athen. XI, p. 480. C. pertinere arbitror. Ad rem confer Proclum Chrestom. ap. Phot. p. 526. ubi de Oschophoriis: Ἦν δὲ τοῖς Ἀθηναίοις ἡ παραπομπὴ ἐκ τοῦ Διονυσιακοῦ ἱεροῦ εἰς τὸ τῆς Ἀθηναῖς τῆς Σκιριάδος τέμενος, εἶπετο δὲ τοῖς νεανίαις ὁ χορὸς καὶ ἦδε τὰ μέλη· ἐξ ἑκάστης δὲ φυλῆς ἔφηβοι διημίλλωντο πρὸς ἀλλήλους δρόμῳ· καὶ τούτων ὁ πρότερος ἐγεύετο ἐκ τῆς πενταπλῆς λεγομένης φιάλης, ἣ συνεκρινάτο ἐλαίῳ καὶ οἴνῳ καὶ μέλιτι καὶ τυρῶ καὶ ἀλφίτοις. Idem haud dubie Aristodemus est, qui in Olympiadum computo commemoratur ap. Euseb. Chronic. I, p. 37. Thes. Temp. ed. pr. qua de re potest in ipsis Pindaricis commentariis dixisse; sed alii sunt Nysaei, de quibus v. Voss. H. Gr. I, p. 137 sq. et Schol. Venet. Iliad. ι, 453. Tertius Aristarchi discipulus videtur esse Menecrates, cuius bis mentio exstat Olymp. II, 16. Isthm. IV, 104. si modo is Nysaeus est, de quo v. Voss. l. c. Sed Aristarchi adversarius fuit Ptolemaeus Epitheta, discipulus Hellanici, qui Agathoclem audiverat Zenodoti alumnum, semel commemoratus in Vrat. ad Olymp. V, 44. ubi v. not. cui adde apud Suidam scribendum esse διότι ἐπέθετο τῷ Ἀριστάρχῳ, quod Aristarchum aggredi solebat, ut scite perspexit Villosionus Prolegg. Hom. p. XXX. At is nescio an Pindari commentatoribus non annumerandus sit. Praeter hos Pindarum explicuere Asclepiades, haud dubie Tragilensis Apollodoro et Didymo antiquior, Τραγωδομένων auctor, quae et ipsa cum eiusdem de Μεγάλαις Ἡοίαις opere in Scholiis laudantur: eius coniectura mihi non probata exstat Olymp.

VIII, 10. et ex commentariis Pindaricis deprompta notata Olymp. VIII, 28. Pyth. IV, 18. 61. Nem. II, 19. ubi οἱ περὶ Ἀσκληπιέειν, Nem. VI. init. Isthm. II. init. et qui loci nunc demum additi sunt, Olymp. III, 22. VI, 26. atque, ut videtur, Olymp. VII, 24. Pyth. III, 14. *Aristonicus*, quippe ille Alexandrinus grammaticus, qui de Homericis et Hesiodicis ac de Museo Alexandrino scripsit (v. Ions. Scr. Hist. philos. III, 2, 3.), atque ut pater Ptolemaeus Romae artem professus est, ut narrat Suidas T. I, p. 326. T. III, p. 224. passim in Scholiis ad Homerum nominatus (cf. Villosion. Prolegg. p. XXXI.), item apud Eustathium aliquoties, apud Suidam et Hesychium v. ἀκοστήσας saepiusque apud Etymologum et Strabonem, cui dicitur Ἀριστόνικος ὁ κατὰ ἡμᾶς, in Pindaricis semel olim Olymp. I, 35. nunc item Olymp. III, 31. VII, 153. ex quo loco eum ante Didymum scripsisse patet: *Chaeris* grammaticus, in Venetis Homeri Scholiis Iliad. β, 311. Boeot. 372. ζ, 71. ι, 601. in Pindaricis maxime Pyth. IV. sed etiam ad Nemea, I, 49. citatus, qui praeter interpretationem et iudicia quae vocant aesthetica coniecturas ausus est, Pyth. IV, 61. metro adversantem, sed bonam et nunc receptam Pyth. IV, 195. mediocres et spernendas Pyth. IV, 188. 259. 459. conf. et Schol. Pyth. IV, 446. ex quo Didymo antiquiorem habeo. Porro *Dionysii Phaselitae* absurda quaedam coniectura exstat ad Pyth. II. init. et οἱ περὶ Φασηλίτην comparent ad Nem. XI. init. iidem qui in Vrat. ad Olymp. XI, 55. οἱ περὶ Διονύσιον vocantur et τοῖς περὶ Ἀριστόδημον καὶ Λεπτίνην coniunguntur. Alius autem est *Dionysius Sidonius*, iam Varroni de L. L. IX, p. 162. Bip. commemoratus, Pyth. I, 172. simpliciter Sidonius dictus, ut in Schol. Wassenb. ad Iliad. α, 364. p. 130. Schol. Venet. Iliad. α, 8. 364. β, 262. γ, 128. ζ, 465. ξ, 40. χ, 29. Schol. Vict. Iliad. γ, 35. ap. Heyn. Animadv. T. IV, p. 695. Schol. Lips. Vict. ad Iliad. α, 554. ap. Heyn. ib. p. 682. et saepius, Apollon. Lex. Hom. v. ἔρμα, et Eustath. ad Iliad. ξ, p. 966. 16. ο, p. 1017. 32. qui eum alibi ad Odys. α, p. 1410. 59. Σιδώνιον Διονύσιον vocat. Διονύσιος Σίδιος est ap. Etym. p. 783. 20. ubi Σιδώνιος scribendum. Eun-

EDITORIS.

XVII

dem esse, qui Pyth. I, 109. Dionysius vocatur, non dubito. Semel in re grammatica *Dionysius Charmidis* appellatur Nem. VII, 35. itemque grammaticus et Pindari interpret *Agestratus* videtur fuisse, de quo Schol. Pyth. X, 85. Quibus opinor omnibus successit *Didymus* Alexandrinus ille *Χαλκέντερος*, Aristarcheus, Caesaris Dictatoris Triumvirorumque et Octaviani Augusti temporibus florens, cuius frequentissima in Scholiis mentio fit, praeter eos locos, qui e vulgatis in Indicem relati sunt, in nostris Olymp. II, 82. 140. III, 54. VI, 115. VII, 34. 153. 159. VIII. inscr. IX, 34. XI, 17. ne commemorem eos, in quibus recens edita cum pristinis fere consentiunt. Erant autem Didymi in Pindarum commentarii (*ὑπομνήματα*, ut vocantur Olymp. V. inscr.) varii: primum in Paeanas, quorum *ὑπόμνημα πρῶτον* commemorat Ammonius v. *Θήβαιγενεῖς*, iis, quae Schol. Pyth. XI, 5. tradit, similia inde referens, deinde in Epinicia, in quibus quae scholiis antiquioris meliorisque notae continentur, ea ex Didymi commentariis excerpta maximam partem videntur: et Didymus ipse, ni fallor, priorum interpretum sententias plerasque scriptis suis complexus erat. Quodsi Didymi hi commentarii pro Scholiorum nostrorum fundamento fuerunt, consentaneum est quiqui recentiorum scriptorum in his nominati reperiuntur, eos ab iis, qui Scholia antiquiora posthac retractaverint, additos esse: qua de re infra dicam: ac sane in illa de hoc Scholiorum fundamento sententia illud me maxime confirmat, quod Didymi commentarii in Paeanas saepius ita citantur, ut ab ipso auctore ad illos te ablegatum putes. Schol. Pyth. VI, 4. *ἐν τῇ πολυχρόσῳ Ἀπολλωνία νάπη, περὶ ἧς ἐν Παιᾶσιν εἴρηται, τῇ Πυθοῖ. § ἢ οὕτως· ἐνθα, ἐν τῷ ναῷ τῷ ἐν Πυθοῖ. ἐκεῖ γὰρ ἡ Ἀπολλωνία νάπη, περὶ ἧς ἐν Παιᾶσιν εἴρηται.* Schol. Pyth. XII, 45. *εἴρηται δὲ καὶ ἐν Παιᾶσι περὶ ἀύλητικῆς.* Nam utroque loco non Pindarum, sed Didymi commentarios ad Pindarica intelligendos esse, ipsa formulae ratio docet. Adde Olymp. II, 70. *ἐν δὲ τοῖς Παιᾶσιν εἴρηται περὶ τοῦ χρησμοῦ τοῦ ἐκπεσόντος Δαῖῳ, καθὰ καὶ Μνασέας ἐν τῷ περὶ χρησμῶν γράφει.* Quartus locus est

C

Olymp. I, 26. *περὶ δὲ τῆς Δωριστὶ ἀρμονίας εἴρηται ἐν Παιᾶσιν, ὅτι Δώριον μέλος σεμνότατόν ἐστιν*, ubi etsi verba *Δώριον μέλος σεμνότατον* Pindari esse censeas, ut ipse olim de metr. Pind. III, 8. p. 239. arbitraber, tamen ob eandem, quam in ceteris tribus scholiis, locutionem ad commentarios suos antea scriptos a Didymo ipso provocari contenderim. Illud verendum non est, ne quis haec ita dicta existimet, ut negem plurima et addita Didymeis et omissa et mutata esse. Ceterum praeter Scholia nostra Didymi in Pindarum commentarios memorat Lactantius Div. Inst. I, 22. „Didymus in libris *ἐξηγήσεως Πινδαρικῆς* ait, Melissea Cretensium regem primum diis sacrificasse ac ritus novos sacrorumque pompas introduxisse. Huius duas fuisse filias, Amaltheam et Melissam, quae Iovem puerum caprino lacte et melle nutrierunt: unde poetica illa fabula originem sumpsit, advolasse apes atque os pueri melle complexse. Melissam vero a patre primam sacerdotem Matri Magnae constitutam, unde adhuc eiusdem Matris antistites Melissae nuncupantur.” Quod Didymus ad Pyth. IV, 104. aut ad alterum locum ibi a Scholiaste allatum narraverat. Praeterea interpres Pluti Aristophanei vs. 9. suos ad Pindari hymnos commentarios citat: *Καὶ τὰ μὲν περὶ τοῦ Πυθίου τρίποδος διαφορῶς ἱστορούμενα ἐν τοῖς Πινδαροῦ ᾠμοῖς εὐκαίρως ἡμῶν διείληπται*: ubi etsi Eleaticum Palamedem agnoscere possis, tamen Schneideri nostri coniecturae de Didymo cogitantis plus tribuo.

Quamquam autem ex his antiquis grammaticis bonas observationes plurimas, praesertim ex fabularum rerumque gestarum notitia accurata haustas in vetera Scholia venisse iudico, mixtas quidem iis nugis, quae in omnibus prope Graecorum grammaticorum scriptis passim sparsae deprehenduntur: tamen etiam ex iis Pindari commentatoribus, qui post Christi natales vixerunt, aliquid Scholiis accessisse probabile est. Inter quos, ne de *Plutarcho* dicam, qui nonnisi de vita Pindari scripserat (v. not. ad p. 6.), certe *Hephaestio* referendus videtur Isthm. IV. init. de ordine Pindaricorum carminum duorum disputans: nisi is alius est ac praeceptor Aelii Veri,

E D I T O R I S.

XIX

cuius hodieque Enchiridium superest. Et Athenaei Naucraticae demum aetate commentarium de Pindaro edidit *Eleaticus Palamedes*, de quo Suidas: *Παλαμήδης, Ἐλεάτης, γραμματικός· Κωμικὴν καὶ τραγικὴν λέξιν, Ὀνοματολόγον, Ἐπόμνημα εἰς Πίνδαρον τὸν ποιητὴν*. Qui quod Ὀνοματολόγον scripserat, Athenaeo ipse Ὀνοματολόγος dicitur IX, p. 397. A. Ὁ Ἐλεατικός. Παλαμήδης ὀνοματολόγος. Meminit eiusdem Etymologus v. *Ἀρμάτειον μέλος: Παλαμήδης ἱστορικός ὃ τὴν κωμικὴν λέξιν συναγαγών*: et ipsius auctoritate in vocabulis obscurioribus explicandis Scholiastae Aristophanis Comici Rhodiique Apollonii aliquoties utuntur. Sed eum historicum dici, cum Vossio H. Gr. III, p. 396. et Hemsterhusio ad Aristoph. Plut. p. 98 sq. miror magnopere; neque dubito apud Etymologum corrigere: *Παλαμήδης Ἐλεατικός ὃ τὴν κωμικὴν etc.* Magis autem mirum est, Elea sive Velia Athenaei aetate prodiisse grammaticum Graecum, quo tempore ea civitas desierat iamdudum Graeca esse: quo argumento mihi constat hunc Palamedem Eleaten non fuisse. Verius eius nomen servavit Athenaeus, apud quem audit ὃ Ἐλεατικός Παλαμήδης. Quippe quum ille vir Palamedes vocaretur, nescio unde oriundus, ob acumen et sollertiam in glossis explicandis aequalibus comprobata ex Platonis Phaedro p. 261. D. hanc meruit denominationem, ubi Zeno ille vocatur ὃ Ἐλεατικός Παλαμήδης, ὅτι δὴ, ut Scholiastes ait, *πανεπιστήμων σχεδὸν ἦν ὃ ἀνὴρ, ὡς καὶ Παλαμήδης*. V. ibi Heindorf. indeque corrige rudem Fabricii congeriem Bibl. Gr. T. I, p. 206. Harl. Adde Hermiam ad Phaedr. p. 184. *Τὸν δὲ Ἐλεατικὸν Ζήωνα (ἀπεικάζει) τῷ Παλαμήδῃ, ἐπειδὴ καὶ ἀριθμῶν καὶ κύβων καὶ πολλῶν ἄλλων εὕρετῆς ἐγένετο Παλαμήδης· ὡς τεχνικὸν οὖν τὸν Ζήωνα παρέβαλε τῷ Παλαμήδῃ*. Postremo hoc loco nomino Tryphonem Ammonii, Alexandrinum, grammaticum, qui etsi Pindari commentator non fuit, tamen ob librum Suidae citatum *περὶ τῶν παρ' Ὀμήρω διαλέκτων καὶ Σιμωνίδῃ καὶ Πινδάρῳ καὶ Ἀλκμᾶνι καὶ τοῖς ἄλλοις λυρικοῖς* praetermitti non debet. Qui quum Augusti

C 2

temporibus et prius vixerit, si is liber superesset, de dialectorum apud Pindarum ratione accuratius fortasse iudicium nobis constaret.

At auctorum, qui in Scholiis veteribus producuntur, pars longe plurima aetate Didymum antecedit. In quibus enumerandis primo loco eos pono, quorum sufficere nomina appellasse: *Homerum*, *Hesiodum*, cuius ineditus versus accessit Olymp. XI, 79. et alia nova mentio Olymp. VII, 42. *Musaeum* recens allatum Olymp. VII, 66. *Orphicos*, *Eumelum Corinthium*, Olymp. XIII, 74. ubi ultimo versu scribendum iam videtur ἠδ' *ὕϊωνός*: de quo poeta v. Voss. H. Gr. I, p. 5. et IV, p. 366. quem etiam *Eumolpo* Olymp. XIII, 31. substituendum suadet Lil. Gyrardus l. c. ap. Voss. *Thebaidem cyclicam*, quae ex ineditis accessit Olymp. VI, 26. *Aethiopidem*, *Cypria*, *Leschae Iliadem parvam*, *Pisandrum Camirensem*, cuius nova commemoratio exstat Olymp. III, 52. *Theognidem*, *Epimenidem*, *Panyasin*, *Antimachum*, qui Olymp. VI, 21. accessit, *Theocritum*, *Aratum*, *Callimachum*, *Apollonium Rhodium* Argonauticorum scriptorem, ex cuius alio libro quopiam historico ea deprompta videntur, quae Olymp. VII, 86. edidi; *Euphorionem*, cuius fragmentum addidimus Olymp. VIII, 41. *Diphili Theseidem*, cuius nova mentio accessit Olymp. III, 52. *Archilochum*, *Alcmanem*, *Stesichorum*, quem adiecimus Olymp. IX, 128. *Anacreontem*, *Sappho*, *Alcaeum*, cuius fragmentum edidi ex Vrat. A. Olymp. X, 15. *Ibycum* etiam in recens edito Olymp. IX, 128. commemoratum, *Simonidem*, cuius ineditum fragmentum v. Olymp. IX, 74. *Bacchylidem*, *Mimnermum*, *Aeschylum*, *Sophoclem*, *Euripidem*, *Epicharmum*, *Cratinum*, *Aristophanem* Comicum, *Sophonem*, *Pherecydem* ex ineditis quater additum, *Acusilaum* Olymp. IX, 70. primum allatum, et Pyth. III, 25. restitutum, quem iam video, ut Socratem, in Argivorum rebus de Coronide dixisse, quod Epidauri Aesculapius natus ferebatur (Pausan. II, 26.); eundem vero Olymp. VII, 42. non nisi exempli causa *Achaeo*, qui historicus putatur, substitutum: porro *Hecataeum* Olymp. III, 28. ex Vrat. A. allatum, *Hellanicum*, Lesbium opinor, qui ter accessit, Olymp. III, 22. VII, 135. IX, 64. *Herodotum*, *Thucydidem*,

E D I T O R I S.

XXI

Philistum, cuius nova mentio Olymp. VI, 158. *Theopompum*, *Ephorum*, *Timaeum* ter ex ineditis additum Olymp. II, 16. VI, 158. VII, 159. *Platonem*, *Aristotelem*, *Theophrastum*, *Demosthenem*. Etiam *Pindari* ipsius haud pauca fragmina insunt, ex quibus quae intacta reliqui, ea in Fragmentorum collectione iam absoluta emendatiora praesto. Praeter hos autem et alii certae aetatis antiqui neque ignobiles scriptores memorantur; quorum agmen ducat auctor vetustissimus *Hippias* Pyth. IV, 288. et Nem. VII, 53. et hoc quidem loco in re Eliaca, ibi in genealogia heroica ad partes vocatus: quapropter non dubito esse Eleum Sophistam, quem de veterum urbium et heroum rebus et de universa archaeologia disputasse Plato auctor est Hipp. mai. p. 285. D. Exempla praeter Scholiastam nostrum praebent Plutarchus vit. *Lycurg.* c. 23. et Argumentum Sophocl. Oed. T. quod compilavit Suidas v. *τύραννος*: et manasse haec ex illius *Συναγωγῆ* videntur, cuius apud Athenaeum mentio facta est. Aliam rem antiquam de Ameristo Stesichori fratre geometriam tractante ex Hippias Eleo refert Proclus in Euclid. p. 19. De eiusdem alio opere ad idem doctrinae genus pertinente, *Ὀλυμπιονικῶν ἐλέγχω* v. Ions. Scr. hist. philos. IV, 41. p. 266. Theopompi aequalis fuit *Andron Ephesius*, quod docuit Ionsius l. c. I, 8, 2. Aristotelis auditores fuerunt *Dicaearchus* Messenius, cuius Olymp. VI, 7. ex Vrat. A. mentio fit, et *Heraclides* Ponticus, cui librum *περὶ χρησμῶν* ex eodem codice Olymp. VI, 111. allatum tribuere non dubito. *Menaechmus Sicyonius* sub Ptolemaeo Lagida vixit: eiusdem fere aetatis est *Cineas* Pyrrhi legatus, quem Pyth. X, 85. restitui. Philadelphi temporibus floruit *Sosibius* Laco, grammaticus, semel in vulgatis, bis ex Vratislaviensibus productus Olymp. VI, 46. VII, 66. Sub Euergeta autem bibliothecae praefuit *Eratosthenes*, cuius sententia Olymp. IX, 1. allata ex opere *περὶ ἀρχαίας κομωδίας* excerpta est. Istri Callimachii eodem rege clari praeter Scholia vulgata in Vratislaviensibus duo scripta citantur, Olymp. VI, 55. Eliacorum quintus liber, quorum quartus ex Clemente Alexandrino notus, et Olymp. VII, 146. *περὶ τῶν Ἡλίου ἀγώνων*. Calli-

machi vero familiaris fuit *Philostephanus* Cyrenaeus, Olymp. VI, 144. et ex Vratislaviensibus Olymp. III, 28. citatus; nec multo recentior *Phylarchus*, qui Euergetae et Philopatoris aetate vixit. Eratosthenis discipulus fuit *Mnaseas Patarensis*, bis in vulgatis, tertio loco in Vratislaviensibus Olymp. II, 70. conspicuus; *Philochorus* iuvenis fuit quum Eratosthenes senex; *Polemo Periegetes* autem, Olymp. V. inscr. in Vrat. A. et saepius citatus Aristophanis Byzantii temporibus floruit. Sed *Demetrius Scepsius* Cratetem et Aristarchum audiverat; de quo quae ad Olymp. V, 42. protuli, ea nunc ita scribenda arbitror: Ἰδαῖον ἄντρον ἐν Ἠλίδι ἱερὸν Διὸς· Δημήτριος ὁ Σκήψιος . . . Νεῶν διακόσμου. Quippe quum doctus ille multos libros scripserit *Τρωϊκοῦ διακόσμου*, qui etiam simpliciter *Διακόσμου* vocantur (v. Voss. H. Gr. I, p. 35), Idaei in Elide antri ibi eum meminisse patet, ubi de Ida monte Troico dicebat: sed ob scripturam codicis *νέων* etiam catalogum Graecorum eo opere complexum grammaticum esse arbitror, ut bipartitus liber fuerit, *Νεῶν διάκοσμος* et *Τρωϊκὸς διάκοσμος*: quarum partium quum illa praecederet, potuerunt vel ea, quae ex *Τρωϊκῶ διακόσμῳ* petita essent, sub nomine *Νεῶν διακόσμου* reponi. Porro eiusdem Aristarchi discipulus fuit *Apollodorus* Atheniensis, cuius ea quae in Scholiis afferuntur, partim ex Chronicis, partim ex Bibliotheca deprompta sunt, illinc Olymp. I, 33. IX, 64. hinc Nem. X, 114. Olymp. III, 54. (conf. Bibl. II, 5, 3.) *Aristocles* Rhodius, qui Olymp. VII, 66. nunc legitur, Strabonis aevo vixit. Satis antiqui sunt *Androtion*, cuius tempora Ionsius definire posse male sibi visus est, et *Phanodemus* Olymp. III, 28. restitutus, uterque Atticorum scriptor; item *Parmeno* Byzantius, poeta iambicus et maxime choliamborum scriptor; *Theagene* vero Aegineticorum scriptore Strabonem usum esse notat Muellerus Aeginetic. p. 2. 5. Praeterea multi incertioris aetatis auctores citantur, qui tamen Christi natales antecedere fere omnes videntur: *Acesander* rerum Cyrenaicarum scriptor (Voss. H. Gr. III, p. 314.); *Apollas* (*Ἀπόλλας*) in Vrat. A. ad Olymp. VII. init. quem qui esset me nescire dixi: sed iam eundem iudi-

E D I T O R I S.

XXIII

co, qui Athenaeo IX, p. 369. A. Ἀπόλλας περὶ τῶν ἐν Πελοποννήσῳ πόλεων dicitur, ubi Casaubono debetur Ἀπολλᾶς, Schweighaeusero Ἀπελλᾶς, quorum notas vide et confer Voss. H. Gr. IV, p. 326. neque alium librum quam de Peloponnesi urbibus Scholiastes noster videtur respexisse. Eiusdem credo mentionem facit corruptus Quintiliani locus I. O. XI, 2, 14. ubi v. intp. Porro *Archemachus*, quem Pyth. III, 120. pro Archidamo praesto; *Archinus* auctor Thessalicorum; *Aristides περὶ Κνίδου*, Milesius visus Vossio H. Gr. III, p. 331. *Aristippus* Arcadicorum scriptor, qui ex Vrat. A. Olymp. XI, 83. additus est; *Aristo* nescio quis eorum, quorum ad nos fama pervenit (v. Voss. H. Gr. II, p. 179 sq.); *Armenidas* Thebaicorum auctor, quem ex Scholiaste Apollonii Vossio H. Gr. III, p. 334. commemoratum in Vratislaviensibus ad Olymp. VI, 23. iam restituendum video, etsi *Hippomedontis* nomini nondum confido; *Autesion*, prorsus quidem ignotus et pro ignotis Antesione et Apesione Olymp. I, 37. et IX, 15. praestitus; *Batus*, sive ut arbitror *Baton*, Atticae historiae auctor; *Cleophanes περὶ ἀγώνων* ex Vrat. A. productus Olymp. IX, 134. *Demon* paroemiographus; *Dercyllus* Argolicorum scriptor, in Vratislaviensibus Olymp. VII, 49. de quo praeter eos, quos in nota dixi, v. Valck. ad Schol. Phoen. p. 7 sq. adde Etym. M. p. 391. 20. ex quo loco satis antiquum esse collegerim; *Dieuchidas*, auctor Megaricorum, Nem. IX, 30. restitutus; *Dinias* Argolicorum scriptor, quem bis reposui Olymp. VII, 49. et Isthm. IV, 104. Valckenariusque l. c. apud Clementem Alexandrinum substituit *Dionysio Argivo*, cuius Nem. II, 1. de rhapsodis sententia proditur; *Dionysius Samius περὶ Κύκλου*; *Gorgon* historicus, quem de rebus Rhodiaticis et nominatim περὶ τῶν ἐν Πόδῳ θυσιαῶν librum edidisse patet ex Schol. Olymp. VII, 1. Hesych. v. Ἐπιπολαῖος et Καταρῥαπίτης, Athen. XV, p. 696. F. ubi male *Γεωργός*; *Herodorus* grammaticus, ut audit in Vrat. A. ad Olymp. V, 10. de quo v. Voss. H. Gr. IV, p. 374. Fabric. B. Gr. T. VI, p. 369. Harl. et Ions. Scr. hist. phil. IV, 22. *Herophilus* nescio quis; *Hierocles* Pyth. IV, 11. et 14. citatus, utroque loco, quorum altero Pindarum ipsum

respexerat, ἐν Φιλίστορσι credo, de quibus v. Voss. l. c. III, p. 376. *Hippostratus* de genealogiis Siculis, quum alibi tum ex Vrat. A. Olymp. II, 8. sed de coniectura mea positus; *Lysimachus* Alexandrinus περὶ Νόστων; *Meneclēs*, fortasse Bacaleus; *Nicocles* nescio an Lacedaemonius Athenaeo citatus, vel grammaticus ap. Etym. p. 715. 28. *Phaestus* Laconicorum auctor; *Pherenicus* Heracleota, poeta epicus; *Pythænētus* in Aegineticis, quem etiam Olymp. IX, 107. e Vrat. A. produxi; *Socrates Argivus*, Argolidis descriptor; *Theotimus* bis in Pythiis IV, 61. V, 33. ob edita Cyrenaica, semel e Vrat. A. Olymp. VII, 33. nominatus, ubi alius de Nilo liber commemoratur; postremo *Theo* grammaticus ut videtur, Demetrio Scepsio recentior, Olymp. V, 42. restitutus, qui in tanta Theonum copia quis sit, haud facile quisquam invenerit. Sed ne *Timandrum* ἐν Πυθιονίκαις in Schol. Paris. Apollon. IV, 1750. Pindaricorum operum interpretem putet, pro isto ex vulgatis Pindarum restituendum esse moneo.

Iam recentiores, qui post Didymum floruerunt, scriptores nonnisi tres vel quattuor in Scholiis veteribus monstrari queunt. Quorum primus *Parthenius* (Scho^l. Isthm. II. extr.) vix ac ne vix quidem huc referri potest, qui si sub Cinna captus est, potuerit ante Didymum scribere: etsi illud nos male habet, quod Tiberii tempora attigisse perhibetur. Alter est *Herodianus* grammaticus Olymp. I, 18. Pyth. III, 65. nominatus; tertius *Amyntianus*, qui de Elephantis scripsit, Schol. Olymp. III, 52. uterque sub M. Antonio Imperatore: quarto loco nomino *Hephaestionem*, de quo supra dixi, si modo hic Aelii Veri praeceptor est. Ceterum quum vel probatissimorum huius aetatis auctorum nulla usquam in his Scholiis mentio exstet, pauculos hos a recentiore homine additos iudico, qui Scholia vetera ex Didymo aliisque excerpserit, digesserit, suis observationibus qualibuscunque et iudiciis auxerit. Immo mature duae quasi Scholiorum veterum recensiones esse factae videntur, altera, ex qua vulgaria Scholia fluxerunt, altera ea, quae in Vrat. A. miro modo depravata et mutilata perduravit: et hac potissimum usus est, qui Etymologicum magnum in ordinem

E D I T O R I S.

xxv

redegit; quo in opere tres ex Pindaricis Scholiis notae leguntur: prima, quam ad Olymp. IX, 106. apposui; altera, quae ad Olymp. IX, 150. ex Vrat. A. prolata est; tertia p. 450. 44. Sylb. ubi de etymo vocis *Θήβαι*: *ἢ ἀπὸ Θήβης θυγατρὸς Μετώπης, γυναικὸς Ἀσωποῦ, ἀφ' ὧν καὶ ὠνομάσθησαν ἐκεῖ πολῖται καὶ πόλις, ὡς εὔρον εἰς τὸ σχόλιον τοῦ Πινδάρου ἐπινηκίῳ ὕμνῳ Ἀγροῖα Συρακουσίῳ*, Olymp. VI, 140. Sed antiqua excerpta paullatim varie decurtata, confusa, perversa, perperam conserta sunt: vetustisque notis accesserunt ineptissima quaeque ab hominibus indoctis profecta, partim circumlocutiones plus minusve barbarae, quales ex Pal. C. ipse etiam addidi; partim animadversiones ridiculae: ex quo genere est lepida de Pindaro Ephorum legente coniectura ad Pyth. I, 146. quae nota ex antiquo quidem scholio ducta, sed sub excerptoris manibus insulsa reddita est: et simile de Adrasto et Clisthene Nem. IX, 25. ubi v. not. item de Strepisadis Thebani propinquo in bello Peloponnesiaco occiso Isthm. VI, 34. Haud ita disparem sed tamen minus imperitam interpolationem notavi ad Olymp. VII, 151. ubi *ἢ τὰ Πανελλήνια* eieci, et multo absurdior Olymp. XIII, 148. ubi Sicyon Boeotiae urbs dicebatur. Nonnulla tamen aequae falsa ab antiquiore manu sunt: ut quod Nem. V, 67. ubi Euboeae oppidum Nēptuni sacris illustre nominandum fuit, de Aegis insula prope Euboeam dicitur: certe plures veterum et maxime Homeri interpretes de illa dixerunt insula, inter hos Nicocrates in Schol. Hom. Vict. ap. Heyn. T. VI, p. 641. Schol. Apollon. I, 831. qui Eustathio ad Iliad. ν, 21. Nicostratus est, et Hesychius v. *Αἶγαί* cum Schol. Ven. Iliad. θ, 203. Cf. Heyn. ad Hom. T. VI, p. 373 sq. Postremo quum ii, qui olim Scholia antiqua adornaverant, ea aetate vixissent, qua Graecorum instituta ingruens barbaries et vetustissimas superstitiones et caerimonias nova religio nondum plane aboleverat, de rebus antiquis illi sic locuti erant ut de iis dicimus, quae ipsi experti sumus: sed novitia manus notas hunc in modum immutavit, ut istas res prioribus temporibus et ab aliis hominibus ita esse actas referret. Ego vero ut Scholiis certe antiquitatis remo-

D

tioris laus constaret, ex libris Gottingensi et Vratislaviensi genuinam formam passim restitui: cuius rei paucula exempla addere placet. Sic Pyth. IV, 104. Christianus dederat *τιμῶσι* pro veteri *τιμῶμεν*; Pyth. IV, 337. recentioris haec sunt: *εἰώθασι δὲ διὰ κλήρων μαντεύεσθαι τοπρὸν, καὶ ἦσαν ἐπὶ τῶν ἱερῶν τραπεζῶν ἀστράγαλοι, οἷς ῥίπτοντες ἐμαντεύοντο*: sed vetustus interpret scripserat: *καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀστράγαλοι κεῖνται, οἷς διαμαντεύονται βάλλοντες δι' αὐτῶν*. Sic Olymp. IX, 134. *dedi δίδονται* pro vulgato *ἐδίδοντο*, eodemque fortasse pertinet varietas lectionis *καλεῖται* et *ἐκαλεῖτο* in Schol. Olymp. IX, 146.

Sed ut iucundum est meliorum temporum vestigia rimari, sic non sine taedio in istorum grammaticorum, quos ab aetate *Byzantinos* voco, exili ieiunaque doctrina versatus sum. Quorum Scholia ad sola Olympia pertinentia, eaque hinc inde a nobis reficta, ad quosnam potissimum auctores referenda sint, partim Praef. T. I, p. XI. XII. partim Notata Scholiis ipsis praemissa p. 3. indicant. Et istorum quidem vetustissimus *Thomas Magister*, initio saeculi quartidecimi ceber, partim Vitam Pindari antiquam recensuit atque in eam, qua hodieque habetur, formam redegit, simul, ut ego arbitror, Scholiis veteribus ipsis adornandis operam navans, quae mihi ille denuo digessisse videtur notulasque inspessisse eiusmodi quales sunt Olymp. I, 16. *ὅπερ οὐκ οἶμαι λόγον ἔχειν*, et Olymp. I, 37. *τοῦ δευτέρου ἀκουστέον*: partim recentiorum Scholiorum fundamenta iecit, ex quibus duo nunc edita ad Olymp. VII, 170. diserte Thomae olim tribuit Guil. Canterus. Alter vero *Manuel Moschopulus maior Cretensis* saeculi quartidecimi parte posteriore vixit: cui successit *Demetrius Triclinius*, quem post Maximum Planudem, qui ad annum MCCCLIII. vitam produxit, scripsisse novimus: eundem vero in Pindarica post Moschopulum commentatum esse, tum ex notula ad Olymp. VIII, 1. edita, tum ex metricis notatis ad Olymp. V. p. 117. patet, quae non ab alio quam Triclinio possunt profecta esse. Eorum annotationes in editionibus prorsus commistas et confusas antiquiores codices signorum quorundam discriminibus distinxe-